






THEOLOGIA DUPLEX,

DOGMATICA UNA, SCOLASTICA ALTERA:

Illa e Sacra Scriptura, Traditionibus, Ecclesia militante, ejusque Capite, Conciliis, & Sanctis Patribus deducta;

Hæc ex primo Sententiarum Doctoris Subtilis JOANNIS DUNS Scoti Theologorum Principis Hiberni Ultoniensis deprompta;

AC REGIÆ CELSITUDINI

COSMI III.

MAGNI DUCIS HETRURIÆ

In Simbolum æternæ gratitudinis Consecrata;

Et tempore Comitiorum Provincialium Almæ Provinciæ Tusciæ Min. Observantium Publico Certamini exposita


A PATRE F. ANTONIO Ò DONELL HIBERNO

Sac. Theologię Lectore Generali in Florentino Collegio Omnium Sanctorum,

SUB CUJUS ASSISTENTIA OBIECTIS SATISFACIET

Pater Fr. RAPHAEL DE BARBERINO Artium, ac Philosophiæ Lector.

Anno Mense Die







LUCÆ MDCCXI.

TYPIS MARESCANDOLI.)(SUPERIORUM PERMISSU.



1061 11

REGIÆ CELSITUDINI
COSMI III.
MAGNI HETRURIÆ DUCIS.

COSME Ducum vertex; celebrant præconia laudum
Orbe Tibi toto Christo quicunque fideles.
Scilicet immensa toties bonitate ligasti,
Munere magnificus, Tua dextera prodiga cunctis;
Ultor iniquorum, fautor studiosè bonorum.
Sceptro præclarus Princeps, ad præmia velox:

Templorum cultor, largus fundator et auctor.
Excelsus pietate foves, Dux magne, Minores.
Regibus æqualis, major virtute, propago.
Tetris terribilis, rectis bonus atque benignus,
Ingenuas artes defendis, provehis, auges.
Vincula sacrarum qui non dissolvere legum,
Sed servare cupis pius, ac stabilire, tueri.

Mitis in adverſos, quamvis ſis Martius, hoſtes.
Arduus ingenio, virtutum culmine celſus.
Gaudet Tuſca quies ſub tanti Principis umbra.
Nobilis ante alias gaudet Florentia terras,
Victrici lauro florens ſub Principe digno;
Sæcula cui parilem vix produxere priora.

Heſperiæ fulgor, columen, decus, ornamentum,
Effulget variis virtutum dotibus altus.
Terrorem ſceleri, virtuti prebet aſylum,
Regifico excellens animo ſuccurrit egenis.
Urbi Romulidum charus, pergratus et Orbi.
Rebus in anguſtis præſens tutela, levamen.
Judicio pollens Regni moderatur habenas,
Æquus ſubjectis debellat ritè ſuperbos.

Debita norma Ducum, ſub Te Duce regnat Apollo.
Vive, valeque diù, noſtri decor inclytus ævi.
Xenia grata Tibi ſemper depromere vellem.

Regiæ Celſitudinis Tuæ.

Humillimus, & Obſequentiſs. Servus

Fr. Antonius Ò Donell.

DOGMATICA.

Tradebant eis custodire dogmata, quæ erant Decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Jerosolymis. Act. 16.



Uis alius sacrosanctam Domini vineam, Ecclesiam scilicet militantem condidit, nisi Deus? hic est qui eam colonis locavit, & divinæ custodiæ munitione vallavit. Fodit in ea torcular, in quod divinis canticis rationabilis fructus interior spirituali infusione deflueret. Ædificavit in ea turrim, *verticem scilicet legis attollens:* atque ita electam hanc vineam, *Civitatem Sanctam Jerusalem novam descendentem de Cœlo*, munitam, instructam, & ornatam, contra quam *portæ Inferi non prævalebunt*, custodiendam, ac regendam tradidit Divo Petro, ejusque legitimis Successoribus, Romanis Pontificibus, cæterisque subalternis populorum Pastoribus, ac Doctoribus, quorum est spiritum, & vitam nobis ministrare, legem explanare, ac explanatam contra visibiles Ecclesiæ defendere hostes: propterea rectè vocantur Doctores ab Augustino 1. Præd. cap. 1. *Plantatores, rigatores, ædificatores, & nutritores Ecclesiæ*, quibus ex Apost. ad Corint. 12. *datur spiritus sapientiæ*, quam Theologiam Dogmaticam vocamus, cui ex S. August. 14. de Trinit. cap. 11. *id tribuitur, quod fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*, Per hanc enim dissipantur tenebræ, quas Heterodoxi nituntur in veram Religionem afferre, & quos erroris in fide venenum infecit, notat, protervos confundit, Orthodoxamque doctrinam ex Sacris Scripturis; divinis Traditionibus, Conciliis, Patribus, Ecclesiæ sensu, & consensu depromit, firmat, corroborat; ac veluti Evangelicus Petri gladius se opponit contra tartarea Hæreticorum jacula, quibus dùm conantur e medio veram, Sanctamque Romanam tollere Ecclesiam, *extra quam non est salus*, se ipsos jugulant, ac læthali ęgritudine se suosque in Avernum detrudunt ęternum. Hinc eam esse toti corpori Ecclesiæ utilem, ac multùm necessariam, licèt non singulis fidelibus immediatè asserimus.

D O G M A T A

DE SACRA SCRIPTURA.

I.

SAcra Scriptura est verbum Dei de se ipso, & ad ipsum pertinentibus, nobis a Deo revelatum, & in communem Ecclesiæ utilitatem conscriptum,

 prout

prout habetur in *Biblia* nomine *vulgata*. Hujus multiplicem ſenſum defendimus contra Acatholicos, qui prçter literalem, & expreſsam verborum ſignificationem alios reſpuunt, quos ingenioſè Catholico calamo comprehendit hoc unico verſu Minorita Macedo.

Geſta, fidem, Mores, Cœlum, Scriptura reponit.

Huic veritati ex inimicis ipſis teſtimonium perhibetur, cum tot ſcripturarum commentaria Lutherus, & ſequaces ſcripſerunt, tot verſiones ediderunt, quæ ſanè, & apud ipſos ſuperflua eſſent, ſi nihil teneremur credere niſi quę in Scripturis reponuntur: *Senſerunt Apoſtoli*, fatentur Centuriatores rigidi Lutherani Cent. 1. lib. 2. cap. 4. Colum. 52. *Scripturas non poſſe intelligi ſine Spiritu Sancto, & interprete*; per quod clarè innuunt ſolùm cortici verborum non eſſe adhærendum: *quia uno eodemque ſermone, dum narrat geſtum, prodit myſterium* ex D. Greg. 20. Moral. Cap. 1. Hujus divini voluminis quo ad utrumque teſtamentum non alius eſt author, niſi Deus. Ut declarat Concil. Trident. Seſſ. 4. ubi 72. libros pro Sacris, Canonicis, & authenticis vulgatę æditionis proponit, qui librum legis conſtituunt, qui ſub eadem litera aliquem ſenſum habet literalem, & myſticum; ejuſdemque eundem paſſum interdum admittere duos ſenſus literales admittimus.

DE TRADITIONIBUS.

II.

PRæter verbum Dei ſcriptum dari divinas, & Apoſtolicas traditiones, ſine quibus Scripturæ eſſent negandæ, communis conſenſus eſt omnium Patrum Grçcorum, & latinorum, eaſque firmiter credimus, & probare valemus non ſolùm ex pluribus ſcripturæ locis expreſſè, verùm ex teſtimonio Eccleſię nobis tales infallibiliter proponentis contra Novatores; qui dùm ſine illis Scripturam, & Religionem ſibiipſis adſtruere contendunt, mortali apoplexia in atheiſmum ruunt.

DE ECCLESIA MILITANTE.

III.

ECcleſia Chriſti in terris, quæ una eſt, ſingularis illa Romana, ſemper Sancta, Catholica, & Apoſtolica, aliud non eſt, quam cetus hominum ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatum ſub regimine legitimorum Paſtorum, & præcipuè

cipuè unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis. Hæc semper visibilis est, & conspicua, ac usquè ad seculi consummationem duratura, semper infallibilis, & indefectibilis, ita ut nunquam in fide erraverit, aut errare possit. Hujus authoritatem asserimus adequatam, certam, & infallibilem esse regulam fidei, authenticè proponentem doctrinam revelatam necessariò credendam, & Controversiarum judicem, contra statuentes spiritum privatum, aut solam Scripturam pro tali tribunali: igitur qui renuunt obedire Ecclesiæ definitionibus, ex scripturis convincuntur æternæ saluti renuntiasse.

DE CAPITE ECCLESIÆ.

IV.

CHristum Dominum instituisse Divum Petrum suum Vicarium, & supremum caput, ac Principem Ecclesiæ visibilis, fides docet; ejusque in regimine legitimum successorem esse Romanum Pontificem, constat ex quatuor Conciliis, maximè Nicæno apud Alphonsum Pisanum lib. 3. can. 39. §. *sic praest* ubi Romanum Pontificem caput omnium Patriarcharum denominat, *& primum sicut Petrus*; ita quod in his quę ad fidem, & mores pertinent, cum totam docet Ecclesiam, nullo casu errare possit: estque simpliciter, & absolutè supra Ecclesiam universam, & supra Concilium Generale, taliter quod nullum in terris supra se judicem, aut Superiorem agnoscat, ab eoque immediatè derivatur potestas Jurisdictionis, quę in Episcopis residet.

DE CONCILIIS GENERALIBUS.

V.

SOlus Romanus Pontifex authoritatem habet convocandi Concilium Generale, quod est Congregatio majorum Prælatorum Ecclesiæ de toto Christiano Orbe, legitimè convocata, & approbata, ad aliquod negotium Religionem Christianam concernens tractandum communi intentione, ipso Capite Ecclesiæ per se, vel per suum Legatum pręsidente: ad cujus generalitatem sufficit, ut Episcopi omnes, quibus de Jure tantùm conceditur suffragium decisivum, citentur, & compareant per se, vel per suos Procuratores, aut suum consensum per Epistolas mittant. Et licet in Ecclesia hujusmodi convocatio sit utilissima, & quodammodo necessaria,

eam

eam tamen esse absolutè necessariam negamus, ac omninò concedimus œcumenico Concilio ritè convocato, & approbato infallibilitatem in statuendo aliquod de fide, quod definire nequit, nisi quod in verbo Dei scripto, vel tradito formalitèr, vel virtualitèr contineatur. Igitur qui rem definitam à Concilio negat, *sit Tibi sicut Ethnicus*, & *Publicanus*.

DE SANCTIS PATRIBUS.

VI.

QUi ullum Sanctum Patrem adeò extollit, ut pro omnibus tanquam Regula fidei, & morum eum vellet sufficere, authoritati Ecclesiæ præjudicat, cui Deus infallibilitatem promisit, non verò ulli Doctori particulari: propterea pessimè sonat decisio cujusdam Novatoris dicentis: *Patres cæteros utiles esse, sed Augustinum necessarium, imò unum pro omni materia Theologica decidenda sufficere*. Cum verò communis Sanctorum veterum intelligentia concordat in expositione Sacrarum literarum, fatemur eorum sensum esse Spiritus Sancti sensum; ideoquè Theologis firmum, ac certissimum præstant argumentum in corroborationem Theologicarum assertionum; quod nequaquam facit unius, aut duorum Patrum authoritas, nisi duntaxat probabile. Hinc juxtà Conciliorum placita asserimus Sanctos omnes in fidei dogmate errare non posse, & cum D. Hiero. concludimus, *in Deum perfectam fidem non esse, quæ in Ministros ejus infidelitate tenuatur*.



SCOLASTICA

Sedentes in excelſo ad ſpeculandum. Eccl. 37.



SAcra hæc ſcientia filia eſt Theologiæ poſitivæ, per dialecticas conſequentias ab ea parta, quę veluti alter Perſeus Andromedam matrem defendit contra irruentia in eam Monſtra falſorum dogmatum, dum fidem, ac veram Religionem proſternere tentant. Hæc eſt quæ Cœlum transcindit, ac ſupra Angelorum choros altiſſima Divinitatis Myſteria ſcrutatur, Dei unitatem in eſſentia, attributa, & Trinitatem in perſonis ſpeculatur. Hæc eſt quæ nos ſedentes intellectu in excelſo facit Empyrio ad ſpeculandas divinas operationes, & effectus, ac, in quantum licet, Cœleſtia arcana penetrare. Hęc enim non rarò uſus eſt Chriſtus in Evangelio, uſi fuerunt Apoſtoli, & Sancti Patres; *Cave*, inquit D. Aug. in 2. Corint. *ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, qua uſos Apoſtolos confiteris*. Igitur antiqua eſt, & Eccleſiæ multùm utilis, ac quodammodo neceſſaria, licèt non abſolutè, ut Hæreticorum confundat perfidiam: propterea impiè in eam blasphemant moderni, quia eam cognoſcunt veluti ſcutum inexpugnabile contra eorum execrandas inſanias.

CONCLUSIONES

EX PRIMO SENTENTIARUM.

DE NATURA DEI, EJUSQUE ATTRIBUTIS NEGATIVIS.

I.

PEr ſe notum eſt unum Deum exiſtere, non tamen nobis pro hoc ſtatu, ejuſque exiſtentia adeò ex effectibus à poſteriori demonſtratur, ut nemo ſanæ mentis eam invincibiliter ignorare poſſit. Eſt infinitus in omni linea, ubique per immenſitatem præſente potentia, non abſente natura. Incomprehenſibilis ab omni intellectu creato, vel creabili, inviſibilis ab omni oculo Corporeo, etiam de poſſibili: omnemque mutationem excludens ſivè phyſicam, ſivè moralem. Eſt Deus æternus, omni durationi creatæ realiter exiſtenti coexiſtens, ſibique duntaxat vindicans objectivam præſentiam

tiam

tiam futurorum ab æterno in mensura ęternitatis. Hujus infiniti Entis prò formali constitutivo reponimus *asse itatem*, quæ tàm inter se ipsam, & reliqua Dei prædicata essentialia, quàm attributalia absoluta, & relativa formalem admittit distinctionem ex natura rei, sine ulla omninò compositione, etiam metaphysica saltem in illo rigore, quo veteres talem usurparunt.

DE INTELLECTU, SCIENTIA DEI, EJUSQUE IDEIS.

II.

DEus vivens vita intellectuali, habet potentiam cognoscitivam per modum actus primi, formaliter distinctam tàm ab essentia, quàm ab actuali scientia: in eoque admittimus scientiam simplicis intelligentiæ, qua clarè, & distinctè cognoscit creaturas omnes possibiles quo ad rationes communes, & particulares, licèt non in se ipsis motivè, sed in essentia Divina, veluti in medio prius cognito: Eidemque concedimus futurorum pręscientiam, qua futura libera contingentia, quę dependent à voluntate creata, cognoscuntur in Essentia Divina supposita determinatione divinæ voluntatis; et ab eo removendam censemus scientiam mediam neutralium, veluti superfluam inter naturalem, & liberam. Idęa in mente Dei aliud non est, quam creatura possibilis pręcognita ut factibilis à Deo, & objectivè in intelligentia Divina contenta.

DE VOLUNTATE DEI.

III.

DEus necessariò ad intra se amans, liberè vult omnia quę ad extra futura sunt sine ulla naturali necessitate, nè à rebus tolleretur contingentia, & libertas: & esto nequeamus divinam ejus liberam volitionem explicare sine terminatione ad Creaturas, in substantia tamen est ipsamet volitio necessaria Dei, in quo ob suum supremum dominium est vera, & sincera voluntas beneplaciti salvandi omnes homines, tàm prædestinatos voluntate consequenti, quàm reprobos voluntate antecedenti; ejusquè Decretum ab ęterno latum de concurrendo cum causis liberis est concomitans, ita quod radix concomitantię sit eminentialis, & virtualis continentia adjuncta universali legi de libertate creata servanda. Hinc prædefinitiones

finitiones actuum liberorum à Deo rejicimus, & ejus omnipotentiam esse suam voluntatem fatemur.

DE PROVIDENTIA, PRÆDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

IV.

DAri in Deo providentiam de omnibus creaturis expressis Scripturæ testimoniis compertum est, eaque consistit in solo suę voluntatis actu, qui non solùm media, verùm etiam finem cujus gratia media adhibenda sunt, pro objecto, seu effectu respicit; eique subjicitur non tantùm peccati permissio, sed etiam mortes, miserię, calamitates, alięque similes pęnę electis a Deo inflictis. Huic succedit prædestinatio divinæ voluntatis actus, quo ab æterno efficaciter vult Deus quosdam finalitèr salvare, præparando eis ad hunc finem media efficacia, quibus certissimè salvabuntur, & hęc completè, & adequatè sumpta respicit non solùm gloriam, quę est finis, sed etiam gratiam, & alia dona, quæ sunt media ad finem consequendum. Itaquè in Deo prædestinante decreta extant duo, unum intentivum gloriæ pręcedens merita, & aliud executivum merita pręvisa supponens: idcirco pro probabili habemus efficacem electionem prædestinatorum ad gloriam pręsupponere absolutam pręvisionem meritorum; firmiterque contra Pelagium credimus opera omnia ex viribus naturæ profecta, nec de condigno, aut de congruo mereri primam gratiam auxiliantem, aut pręde stinationis primum effectum. Prædestinationi opponitur reprobatio in Deo, qui neminem positivè reprobat ante prævisionem peccati; Unde sola peccata finalia, dummodo sint mortalia, causant æternam reprobationem.

DE VISIONE BEATA.

V.

DEum omni intellectui creato naturaliter agenti invisibilem esse, Concilium Viennense definit: & repugnare substantiam creatam supernaturalem, cui connaturalis est Visio beata, aut lumen glorię, ratio demonstrat. Ut verò intellectus activè eliciat actum beatificum de facto indiget lumine gloriæ habituali tanquam concausa supernaturaliter elevante, & partialiter simul cum ipso ad Visionem concurrente, quæ non est intensivè

vè æqualis in omnibus, licèt probabile sit eam esse æqualem de facto in aliquibus. Cęterum stante æqualitate luminis glorię in duobus intellectibus, quorum unus est perfectior, sequitur inæqualitas intensiva, seu gradualis Visionum, quæ per nos probabiliter sunt supernaturales quo ad modum tantùm, & in quibus totaliter, aut principaliter non consistit nostra beatitudo in Patria.

DE TRINITATE.

VI.

DAntur in Deo reales Processiones, quę duæ dumtaxat sunt inter se realiter distinctę, sicut & ab ipsa Paternitate. Illarum prima dicitur generatio, quę procedit proximè per dictionem, & non per intellectionem. Secunda vocatur Spiratio passiva, quę producitur non ab amore proximè, sed à spiratione activa in Patre, & Filio, & utraque procedit ab ipsa divina essentia veluti principio remoto, cum quadam relationum connotatione. Filius in Divinis, quem Verbum Patris appellamus, procedit non ex cognitione Creaturarum possibilium, futurarum, aut existentium, sicut nec ipsarum personarum ad intra, benè verò ex adequata cognitione divinę essentiæ, & Attributorum absolutorum. Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio asserimus, & realitèr distingui à Filio, etiam si per impossibile ab ipso non procederet.

PROGRESSIO AD ALIOS TRES LIBROS SENTENTIARUM.

Quidquid Dogmaticum, Speculativum, aut Morale docuit Scotus noster Antesignanus in aliis tribus Libris Sententiarum proponimus sustinendum.

F I N I S.

13



